



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

XIX. Abydeni,

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

niq̄ue in libello De mundo vetustam quamdam ait esse doctrinam, quæ Deum rerum omnium conditorem & servatorem esse statuit, quod ad Mos̄em utique videtur pertinere. Promptum ergo & facile fuit Aristobulo Judæo ostendere, ex Mos̄e & Prophetis Peripateticam Philosophiam manasse; quod factum ab eo testatur Clemens Alexandrinus.

Clem. Alex.
Strom. 5.

XVI. Æqualis fuit Aristotelis Hecataus Abderita, qui de Judæis librum reliquit. Hujus quoque extabat liber de Abrahamo: quem librum Historiæ hujus Judæicæ partem fuisse opinantur quidam. Eo autem Judæorum instituta ita probabat, ut vel religionem Judaicam eum esse amplexum suspicatus sit Herennius Philo, vel librum certe suppositum esse: futili sane & inani conjectura. Narrabat præterea quomodo erga suas leges affecti essent Judæi, easque constanter & fortiter retinerent: id quod aiebat se ab Ezechia summo eorum Pontifice audivisse, qui gentis suæ instituta, & vitæ rationem è libro, in quo descripta hæc erant, audiente se prælegebat. Librum hunc autem, Mosaicum volumen esse aio. Causam idem alibi affert, cur neque Mosaicæ legis, neque memoratorum in ea virorum meminerint Historici, vel Oratores, vel Poætæ; quod nempe sacra mytheria ore impuro enuntiari minime liceat. Quæ quidem rei non veræ vera ratio est: quam multorum enim scriptis celebrata sit Judaica Lex, satis indicat hæc à nobis instituta disquisitionis.

Hecatai.

XVII. Conuphidem in Ægypto audiit Eudoxus Cnidius. Illic autem ex Columnis Mercurii Philosophiam didicisse ipsum commemorat Iamblichus. Atqui Columnas illas Lege Mos̄is ac doctrina fuisse inscriptas non infelici conjectura supra deprehendimus.

Eudoxi.

XVIII. Sequitur Chaldaicæ historiæ florentissimus scriptor Berosus, quam ex vetustis quidem Annalibus Chaldaeorum collegit. Attamen de generis humani corruptela, & effuso puniendis hominum noxis Diluvio, deque Arca in Armeniæ verticibus delata, qua sobolis humanæ reparator Noachus servatus est, ita differit, ut à Mos̄e plurima, vel ipsum, vel quos secutus est Annales, summissè appareat. Atque hunc subinde affectati sunt Abydenus, & Alexander Polyhistor, ex quorum ruderibus Mosaicæ auri ramenta eruemus.

Berosi.

XIX. Demus ergo hic locum Abydeno, qui idem videtur ac Abydenus ille Palæphatus, Aristotelis, ut ferunt, amasius: uterque enim in scribendis historiis industriam suam exercuit; & ut hic Arabica, Cypriaca, & Delia scripsit, ita ille Assyriaca, Medica, & Chaldaica, paræ argumenti res ac tituli. Nec moror varietatem scripturæ in nomine hoc exprimendo, quam observavit Scaliger: nam ea ex inuito in veteribus libris iotacismo provenit. Fragmentum porro insigne ex ejus Assyriacis & Medicis affert Eusebius in libris De præparatione Evangelica; in quo Diluvii Noachici, Arce ad Armenios montes appellentis, & avium inde emissarum casus, turris quoque Babylonica historia, ita narratur, ut Mos̄em tanquam per nubila facile agnoscas.

Abydeni.

Scalig. in Euseb. Chr.

Euseb. De præp. evang. libr. 9. cap. 11.

XX. Quod Mos̄em Græcè loquentem audimus in interpretatione Septuaginta Senum, id Demetrio Phalereo debemus. Hoc enim auctore & inventore egregia hæc & memorabilis opera ad literarum sacrarum illustrationem collata est. Ex quibusdam Josephi verbis adversus Apionem, existimari possit aliquid de Judæis scripsisse; sed si veris locum damus, videtur illic Josephus Phalereum Demetrium confudisse cum Demetrio Judæo, qui de Judæorum regibus dissertationem edidit.

Demetrii

Phalerei.

Joseph. adv. Apion. libr. 1.

XXI. Hic recensendi celeberrimæ hujus Librorum sacrarum Interpretationis Græcæ auctores Septuaginta, & ipse rei narrator Aristæas: cujus tamen nomine inscriptum quod extat opus, genuinum esse contendere nolim. Interpretationis quoque hujus historiam, & auctores in controversiam revocari scio. Sed ne ipsi quidem sententiæ receptæ oppugnatores, negant sub Ptolemæo Philadelpho Græcis literis explicatos esse Libros sacros, quod mihi in præsentia satis est.

Septuaginta

Interpretum

Scripturæ sa-

cræ, & Ari-

stæ.

XXII. De numero Septuaginta horum Interpretum unum fuisse Ezechiolum, Judaicarum tragædiarum poetam, quibusdam persuasum esse video. Certe non Eusebium solum, & Clementem Alexandrinum præcessit ætate, sed & Alexandrum Polyhistorum, qui fuit L. Sullæ coævus; & Demetrium Judæum, qui ex ejus scriptis fragmenta depromit apud Eusebium. Vixisse autem Demetrium hunc, inter Ptolemæos, Philopators, & Lathyrum, paulo post patefaciam. Drama ejus hodieque extat, ἐξαρων inscriptum, quo Ebræorum exitus, duce Mos̄e, explicatur.

Ezekieli.

Euseb. De præp.

Evang. l. 9. c. 21.

Clem. Alex.

Strom. 1.

XXIII. At Manethos Sebennyta in Ægyptiaca Historia luculentam Mosaicarum rerum collegit memoriam, sive ex sacris Columnis à priore Thoyth positis, sive potius ex libris sacris, quos ex Columnarum inscriptionibus Mercurius Trismegistus expresserat. Hæc autem supra demonstravi fuisse ex Mosaicis libris delibata. Confu-

Manethoni.